

toricis, testatur hunc & Aristotelem fuisse coætaneos, & Aristotelem verò, iam Roma florente floruisse non ambigitur: Rursus Homerum & Hesiodum, Græcorum Poëtarum præclarissimos, ante conditam Romam fuisse, idem Tullius testis est. Inuentor ergo non carminum, sed numerorum fuit eorum, quibus vtuntur Oratores: quod ipse M. Tullius de Oratore diligenter exequitur, docens & hoc ferius inuentum, & ad id æmulatione Poëtarum fuisse peruentum, quod eos lætius quam Oratores audiri, sola numerorum suauitate perpenderant, atque illud adiungit, non fuisse Isocratem huius inuenti Principem, quippè eum Trasy-machus & Gorgias præcesserunt, vterque numerosior. Sed idcirco huius rei titulum ad Isocratem peruenisse, quod in eius exercitio moderatius se gesserit, quando Gorgiam senem adolescens ipse castigauerit repertum in Thessalia & huiusmodi numeris, quos festiuitates appellabat, intempestiuus abeuntem.

SOPHOCLES.

Q Vintum his adijciam studiosum senem Sophoclem, qui iuxta centesimum ætatis annum, in extremo vitæ exitu